



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Iosephi Ripamontii E Collegio Ambrosiano Historiarvm Ecclesiae Mediolanensis Decas ...

Pars Altera Libri XVIII

Ripamonti, Giuseppe

Mediolani, 1625

Liber Vndecimus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11182



IOSEPHI RIPAMONTII
E COLLEGIO AMBROSIANO
HISTORIARVM
ECCLESIAE MEDIOLANENSIS

Liber Vndecimus.



IOANNE Galeatio mortuo, duode-
cim viri, quos ille filiorum adolescen-
tiæ rectores instituerat, exigunt publi-
ce sacramentum in verba Ioannis Ma-
riae, nouumque Ducem eum, deplora-
ta in perpetuum libertate Medio-
lanenses acceperunt. Initia noui principatus infau-
sta, & turbulenta calamitates insecuturas haud ob-
scure portendebant, cum, & ipsae per se ciuitates ad
rebellionem spectarent, & apud veteres Vicecomi-
tum inimicos consilia euertendae Domus acerrime
infensissimeq; agitantur. Principes autem authoresq;
talium consiliorum Florentini erant adducto in senten-
tiam mentemq; eandem Pōtifice Maximo propter an-
tiquas culpas huius domus, & contumaces semper ani-

Rrrr mos

Collegio S. Iesu Paderborna

mōs, quoties inter se discreparent Apostolicae sedis auctoritas, & cupidines augendae dominationis. Recēs insuper ira Romanum stimulat in Bononiae urbiumque aliarum raptōres, nec leue incitamentum origo ipsa domus imperijq. huius erat. Itaque, dolore & indignatione ardens contulit in Vicecomitum perniciem arma cum Florentinis, & urbem Ferrariam, misso in id Cardinale legato Estensi firmavit ea conditione, vt gerendo aduersus Vicecomites bello imperator ille adesset. Iacobus Rubeus Veronae Episcopus cum Petro fratre ad Parmam inuadendam cuncta moliebantur. Alberici Balbiani, & Vani Gozadini defectio his adijcitur, qui maximis ab Ioanne Galeatio beneficijs aucti, non eo solūm aggrauabant inclinatas res, quia partas hīc opes auferabant secum, sed multō magis, quia desperasse de Metropoli imperioq. hoc videbantur, & notitiam arcanaq; multarum rerum ad hostes transtulerant. Videntes ista duodecim viri rectores adolescentiae Vicecomitum, consilio inter se habito, placandum imprimis esse Pontificem statuerunt, ac rogauere Mediolanensem Archiepiscopum, vt Principis & Reip. nomine super ea re legatus ire Romam vellet. Eo suscepto munere ille cū iuisset, Romanas reperit iras grauiōres multo quā ante vnquam fuissent. Toties rebellis vna domus, & vna toties damnata Ciuitas angebatibi indignitate animos, quōd simulatq; veniam impetrassent, ad pristina relaberentur. Non modō auditam parum benigne legationem, sed ipsum quoque legatum in manifesto discrimine esse versatum ferunt.

Post

Post Archiepiscopi reditum, calamitas inuasit urbem, quae, & fuit ipsa malum atrox, & mala deinde alia conciuuit; ac de eo casu quam breuissime absoluam sicuti proditum est ab iisdem illis, qui in parte tantae calamitatis fuerunt. Franciscus Barbauaria erat vnus de duodecim, quos moriens Ioannes Galeatius rectores filiis, vt dixi, instituerat. Hunc iusserat caput esse rerum consiliorumque omnium, eique vt aula tota pareret, sanxerat extrema sua voluntate, quam rescindi violarique nefas esset. Is homo, siue intemperanter abutendo potestate summa, siue communi eorum conditione, qui supra ceteros euecti infensis aequalium olim oculis adspiciuntur, facta per nonnullos coniuratione destinatur ad necem. Coniurauere in eum, Antonius Vicecomes, Ioannes & Gauatius Aliprandi fratres cum parente suo Galeatio, Porri fratres Antonius & Galeatius, alijque complures, prout horum quisque, propinquitate vel amicitia fidos sibi assumpsit. Statuerant impetu in aulam facto trucidare ibi Barbauariam, parauerantque idoneam manum in id ipsum, quae aduersus praetorianas etiam stare cohortes posset. Haec agitari consilia cum sensissent, Catharina mortui Ducis vxor, & Barbauaria principem iam in vrbe locum tenens misere Ioannolum Calatum ad Vicecomitem, quem caput esse coniurationis compererant, vt ex eo sciscitaretur, quae causa ipsi turbandarum rerum, quidue dolens, atrox in Barbauariam consilium suscepisset. Vicecomes, conspecto Calato protinus expedit ferrum, hominemque obruncat. Tumultus inde peruadit urbem, & dum

ciues ad eum casum pro se quisque armantur, Clerici quoque sumptuerant tela; direptio sacrarum aedium fiebat, & in Archiepiscopi aulam peruenerat terror. Catharina principum mater apoplectico stupore semimortua imposita raptim in currum, vehitur per urbem, sedatoque parumper tumultu cum liberis recepit se se in arcem Iouis, & pax reddita esse rebus videbatur. Postero die, concitante populum Antonio Porro, sumptere iterum arma promiscua ciuium, & Clericorum multitudo, rursusque prodeunte Catharina sedatur tumultus. Eaedem tumultuandi, & quiescendi vices per dies aliquot repetitae, donec Barbauaria ipse causa & initium irarum aufugit. Non tamen ea fuga lenierat animos: quotquot ex Barbauariae factione Mediolani residui erant, occidebantur in illius contumeliam, satiabantque innoxiorum etiam caede iras. Sed & socij impotentiae ministrique iniuriarum dominante antea illo multi meritò nunc plectebantur, haud satis regente capita inuisa honore religionisue vlla etiam si Magistratibus sacerdotiisque amplis praecessent. Ambrosiani Abbatis caedes, ob loci eius dignitatem magis quam publico vllò luctu insignis fuit. Praefectura illa Monasterij Ambrosiani magnas opes auctoritatemque parè opibus adiunctam sibi per ea tempora habebat. Fortè Monachorum suffragijs mandata fuerat homini, qui litteris quidem, & innocentia vitae mereri debuerat eum gradum; ceterum debuit idem, sicuti res monstrauit, esse lento ingenio & segni ad repellendas iniurias, siue ne violentia quidem vlla ipsius valuerit aduersus armatos,

tos,

tos, & dominantes. Hunc Barbauaria loco cum deieciſſet, impoſuerat Monasterio quem voluerat ipſe Abbatem e familiaribus ſuis temerarium hominem, & absurdum immemoremque fortunae prioris, qualia ferme ſunt hominum ingenia, qui ab humili loco ad commoda aliqua proceſſere. Praeterquamquod erat e factione Barbauariae, offendebat etiam ipſe moribus ſuis animos, & legitimi Abbatis ſolitudo ſqualorq; non paruum incitamentum erat, quod magis adulterinum hunc auerſarentur. Interfectus auidiſſime eſt, nec alia tam grata in publicum caedes fuit, Abbasque prior cum magna bonorum gratulatione reſtitutus in ſuum locum. Sed prius, factum in Monasterium impetu, diripuerant illic omnia, crudeliterq; debacchati fuerant, lacerando & perfringendo quae noluerant aut non potuerant auferre. In reliqua multitudine furor partium tanto atrocius deſaeuijt, quanto copioſior & promptior ibi furori materies erat. Neque capita tantummodo petebantur ad necem; infantes ipſi ad parietes allidebantur, ut quamq; diuerſae factionis domum ingreſſi factionis alterius homines erant. Ac tanta fuere odia, ut vulnera & caedes in leui haberentur, niſi etiam dehoneſtamenta domibus inuicem addidiſſent. Reperi in annalibus id quod inuitus referam, nollemque tetigiſſe; ſed haeſtoriae fides cogeſat. Mediolanenſem Archiepiſcopum tradunt in parte tam atrocium inimicitiarum fuiſſe, quemq; in tam turbidis atque funeſtis rebus haud aliter quam conciliatorem animorum nominari oportebat, hunc inter initia cauſasq; malorum
pro-

prodidere. Archiepiscopus erat Petrus Cretensis ille de quo antea memorauimus, primò minorum Franciscanorum Antistes, dein Vicetiae, tum Nouariae, nunc Mediolani pastor animarum, ac paullo postea Cardinalis futurus, ut ab hoc denique gradu ad Pötificatum Maximum suo tempore extolleretur. Et erat ille fortasse quietus ac probus, sed conditione temporum effugere non potuerat quin sese turbis immisceret. Is, vnà cum Antonio Porro decemque Consiliarijs, quos Catharina sibi assumperat, coepit ipsam adeo infestis modis obsidere Catharinam, ut ea captiuæ prope instar haberetur. Appositis custodibus domi clausam tenebant, irritumque erat quicquid ipsa inconsulto Archiepiscopo consiliarijsque ceteris in re etiam domestica decernere voluisset. Si forte illa sese commouerat, volueratque prodire, populus ad arma concitabatur, ipseque Archiepiscopus inter populi concitores erat. Sex in vrbe praefectos constituerant, ad quorum nutum arma caperentur. Hi simul atque in clamassent, tota in armis erat ciuitas, & more belli cuncta agebantur. Itaque tantae clades & miseriae vrbis, animos fecere prouincialibus ad tentandam ab Metropoli defectionem, quam in cupiditate animisque omnium iam diu inclusam, reuerentia & metus imperij comprimere ad eam diem ac retardare potuerat. Spreuere primò, & abiicere maiestatem Cremonenses semper laeta ciuitas contumaciae fama, & pernicis saepe sua gloriam eam quaerens. Tum Brixia Cœnomanorum haud absimilibus ingenijs exemplum secuta est, exemploque ipsa suo alias ad rebellandum ciuitates
inci-

incitauit. Rebellauere deinde agmine vno Bergomum
& Crema, & Laus Pompeia, & Placentia, & vrbes aliae
certamine factionum prolapsae etiam ipsae ad rabiem
ciuiliaq; arma velut aemulatione in Metropolim á qua
deficiebant. Bononiam & Afisium, & Perusiam tuto-
res & consiliarij Vicecomitum Pontifici tradidere vltro
ob metum, quia non aliter quàm placato Romano sibi
posse imperus ille praecipitantis imperij videbatur.
Interim Catharina principum mater, quam Archiepi-
scopi decemque consiliariorum saeuitia captiuae instar
habitam fuisse dicebamus, die quodam eluctata custo-
dias, discessit ex aula, & sese rursus in arcem abdiit,
quo casu atrocius quàm antea in vrbe tumultuatum
est. Namque, vti populus vniuersus erat Archiepisco-
pi, decemq; consiliariorum, ad eum motum consur-
rexere omnes, iamque manifesta defectio ab nomine,
& domo Vicecomitum fiebat. Strata passim humi ca-
dauera nobilium virorum reperiuntur, & capita par-
tium demersi in cloacas iacuere. Praecipue commo-
uerat animos atque perturbabat dira illa species, cum
Antonius, & Galeatius Porrus, & Galeatius Aliprandus
principes partium in foro reperti essent capitibus ab-
scissis, & ad latera collocatis cum tanta insuper vulne-
rum foeditate, vt eorum ora non agnoscerentur, donec
nusquam viui reperti; cadaverum denique coniectura
innotuere. Iacebant insepulti, nisi Augustiniani fra-
tres ob necessitudinem fortasse aliquam, facto repente
agmine sustulissent corpora, & in D. Marci Æde tu-
mulassent. Cùm ea deformitas rerum omnium Medio-
lani

iani esset, conuentus ciuium habitus est tentandae pacis, si fortè respicere cum aliquo honesto sensu laceratam indigne patriam possent ijdem illi, quorum acerbitate lacerabatur. In eo octingentorum conuentu Christophorus Castellionaeus rudi facundia concionè habuit, cuius initiū homines fortasse illi admirati sunt, aetas nostra irrideret. Cū enim ei propositum esset hoc suadere populo, vt Barbauaria reuocaretur, ita est exorsus. **OMNIA PER IPSVM FACTA SVNT, ET SINE IP SO FACTVM EST NIHIL.** Quae verba, praeterquam quod absurde potentiam exulis extollebant, etiam irreligiose translata ex diuinarum literarum oraculis ad quotidiani sermonis consuetudinem erant. Barbauaria tamen est in patriam reuocatus summo Ciuitatis vniuersae studio, cū interfectis, qui capitalissime hominem aderant, horum etiam aesculae mutassent animos, & tota illa coniuratio dissoluta esset. Prodiere venienti obuiam principes vrbis, atque ipse inter ceteros Archiepiscopus vnà cum Francisco Gonzaga Mantuae Principe prodijt effusa in exulem adulatione tamquam amores & delitiæ spesq; & salus vrbis in capite iam illo essent. Sed restituto in hunc modum Barbauaria, cū profectum esse aliquid ad Reip. tranquillitatem videretur, casus repente infestus desiderabiles fecit atrocitate sua priores turbas potius quàm vt ex breui & infelici pace, sanguine rursus ciuili cuncta inundarentur. Ab latrunculi supplicio vnus orta est causa irritandi Guelficos Gibellinosq; furores, armandae ciuitatis aduersus principem, principi ciuibusque

busque sensum & mentem adimendi, dum ille maiestatem imperij factò fortè vno violatam, hi priuatum dolorem atq. alienas iras vlciscuntur. Moncinus erat quidem trucis audaciae gladiator, & latro pessimus, minister & assecla Casatorum, cuius manu nonnullae palam, plures ex occulto patratae caedes fuerant, nulla ipsius irâ nullisue inimicitijs, sed ad nutus tantummodo heriles ne excideret mensa, & stipe qua alebatur. Et rumor erat, familiaritate salarioque eo minime contentum exire saepe noctu per diuerticula vrbis telo socioque succinctum ac spoliare si quem solum inermemq; nactus esset: saepius circa suburbanam viam infersâ latebrâ dare ex tuto impetum in viatores, & spolia in latebras alias referre. Venditabat quoque sese, & venditabatur ad facinora, & artes hominum interficiendorum quem quisque ob metum siue per iram occulte sublatum vellet. Hunc Moncinum, post clandestina multa flagitia compertum vnus denique flagitij, & ab eo indicio, totius antaectae vitae manifestum dannauerant iudices, vt laqueo publice exanimaretur. Statuto igitur die, cum ad supplicium ducendus esset, tota illa familia Casatensium, conquisitis vndique amicis, haud contemnendo agmine Praetorium irrûpût, & eripere carnifici satellitibusque Moncinum conantur. Fit ob eam rem tumultus ingens, ac districtis vtrinque gladijs, pro latrone pugnant, qui saluû, quiue supplicio affectum volunt; neque, aut iustitiae cura istis, aut illis amor tam indigni capitis; sed

S s s s satellites,

satellites, eandem sibi furcam, si creptus foret, Casatenses infamiam, nisi creptus timebant. Per lato in aulam nuntio, mouetur statim ferocia iuuenis principis, ut eat ipse, & quid insolentiae sit illud coram spectet. Vbi princeps, & cum eo tela praetorianorum in conspectu tumultuantibus fuere, crescunt animi satellitibus, Casatenses ab fuga subsidium petunt, & in P.N. regionem trepidi conglobantur. Concaluerat Principi pectus, non iam solum ab audaciam eorum qui tantum facinus in conspectu penè suo tentassent, sed etiam ob trepidationem eorundem & fugam: Vestigia fugientium cum praetoriano milite raptim insecutus, ad vsque D. Petri Aedem adequitat, quae corrupto cognomine Cornareda Aedes dicitur ob depictum olim ibi cum piscatorio rete Apostolum. Portae Nouae proceres conspecto circa meridiem principe, strepituq. abeuntium, & persequentium audito, tempus in suspicionem, causam in crimen, arripere; rati que saeuire mero & petulantia sua iuuenem, tela e fenestris in eum conijciunt. Et ille quidem ad eum casum attonitus anhelusque metu sese in aulam recepit, stetitq; eo die tumultus intra Moncini tantummodo caedem, quem carnifices praetorio in ipso ex eminula quadam trabe suspensum strangulauere iniecto tantò violentius ac saepius pede, quasi ob iram discrimenque principis, etiam ipsos irasci oporteret. Casatenses verò cum affeclis suis, hoc ipso desperata venia & salute, quòd Principem in id periculum adduxissent, ad extrema & abrupta omnia conuersi

Franci-

Franciscum Capitaneum, & Othonum Rusconum rebelleis hostesque Vicecomitis eosdem, & rebellium exulūq; aliorum duces, ad spem capiendae urbis excitos adiunxere sibi, validam & magnis rebus aptam manum hominum, qui ipsi ad rem gerendam nihil aliud quàm auxilia aliqua circumspiciebant. Postquam desperati isti novos sic inuenere desperatos, duo agmina sibi, duos incessus parant. Agmine vno fauces aditumque Portae nouae occupant, altero persultant urbis vias, & viuere Guelfos, trucidari Gibelinos iubent. Quae vbi nuntiata principi, confestim ille, misso per urbem praeconio edicit, vt quicumque saluum esse Vicecomitum genus velint, in Arenaē aulam eant armati; qui non adfuerint, se eos pro hostibus esse habiturum. Ciues, ad eam vocem idque edictum, haerebant attoniti haud minus quàm ipso rebellium incessu & clamore. Nam neque pro principe armari inireq; aulam volebant, ne motu eo impedirent, si quid fortè boni ad res nouandas urbemq; liberandam tumultus ille afferret, neque restando, & manendo audebant animos nudare in manifestam vltimamque perniciem, si expectatione illa destituerentur. Inter manendi metum & cundi reculationē arreptis quæ cuique ad manum fuerant armis, congregabātur inter sese Guelfi & ad loca subinde aliqua subsistebant quasi iam iamque ituri, ceterum inuito consilio expectantes, quorum res ipsa euasura esset. Nec minus apud rebelles tumultuatoresque ipsos trepidabatur, Videbant ciuitatem.

vniuersam torpere metu, & sese iam eò progressos, vnde receptum habere nullum possent. Curstanto, & in clamando, ad Pontem veterem deuenire, inde in Cusani angiportum flectunt, hinc vsque ad Malum angulum agmine infausto progrediuntur; & alleuauerant paulisper animos cōspecto Gauatio Reina suae factionis homine, & duce Portæ Vercellensis, qui conscenso equo, per omnes vias ibat vociferans, vt omnes sese domi continerent; sic iubere principem. Ad malum angulum aedes fuere vnus insignis Guelfi, quem Cautum Concurrentem appellabant. In eas sese aedes abdidere ad quadringentos, & sumptâ albae crucis notâ, quod insigne Guelforū erat, coniurant, quandoquidem in eam necessitatem ventum sit, aut mori cum gloria, aut ferro salutem sibi, patrie libertatem inuenire. At Vicecomes, in eodiscrimine familias ciet, de quarum fide minime ambigebat, armarique singulos iubet. Confestim armantur Pusterulae, Cribelli, Lampugnani, Caimi, Landriani, Corij, Bofsi, Badagij, Risij, Maini, Marliani, Mirabiliae, Stâpae, Arluni, Gallarati, Mandelli, Vicomercati, Burri, Mantegatiac, Ferrarij, Orombelli, Dugnani, Salae, Tusciani, Gambaloirae, Plati, Garbaniatenses, Oprini, Stratae, Moroni, Seluatici, Galerani, Petrasanctae, Arconati, Crafsi, Meltij, Bafgaperij, Crotti, Saxij; quae familiarum nomina sic retuli, ne suus vnquâ nobilitati honos in vlla nostri operis parte subtractus fuerit Urbano huic exercitui, Iacobus Cruceius, & Barptoleme^o Amicon^o duces fuere;

fuere; simul Vicecomes ipse cinctus latera fidissimis ad omnia quae in tali casu essent agenda, & disponenda, obibat. Cùmq. fortissimorum virorum ista acies obequitaret adibus, quas Guelfi rebelleis ceu arcem infederant, erumpere ausi illi quasi phanatica acie euasere per cateruas arci ei circumfusas, nec fere multò plus accepere damni quàm intulerunt. Pugna deinde cooritur acrior tantò, quò magis, eruptio illa, hinc audacia, hinc pudore animos accendit. Cadunt vtrinque multi, sed plures in rebellium parte, quia pars altera, & numero, & animis crescebat, aggregantibus in singula momenta sese nonnullis, vbi dimicantem in eadem acie principem, & spem, quae primò suspensos tenuerat, esse irritam uident. Inclinari deinde paulatim, & dissipari fugâ rebellium agmen, insequente ferociter & urgente agmine altero donec ad D. Anastasiae Aedem, qui fugiebant, quiescebant, pars vtraque pleni vulnerum, & caedis peruenere. Ibi, non iam earum, quas retuli, familiarum homines, quiesce se postea adiunxerant, sed tota illa regio in perditos profligatosque Guelfos pugnabat, nisi caedes erat ea potius quàm pugna. Et latè spariatur ibi via in campi ferè modum, quò laxius liberiusque caederentur, nulla sicut inter angustias declinatione & impedimento, sed obleptis omnibus effugijs, & diuisa vtrinque acie, conspectis hostium amicorumque capitibus. Euasere pernitate equorum, & solertia sua nonnulli, paucos iniecit & vinculis abduci princeps in custodiam iussit, & in
furcam

furcā laqueumque referuari ne tam honeste perirent. Per octo amplius horas pugnatum est, eiusque tumultus dies fuit x. Cal. Iun. anno 1404. cruento scilicet illo, & tantis publicis calamitatibus insigni. Postridie eius diei, quo victoria haec parva de rebellibus erat, supplicia de captiuis sumebantur conspectiora eò, quia nobiles viri poenam eandem subibant, quae latrunculo vni irrogata tam funestas in vrbe turbas excitarat. Praecipua inuidia facitiae principis fuit ob Casatensium necem, qui passim pependere furcis, haud tamen sine multo apud maleuolos irrisu, quòd Moncini illius antea liberatores, ignominia nūc & dedecore mortis Moncinum ipsum referrent. Qui ex gente domoque ea opulentiores erāt, praesenti pecunia tenuere, vt datis potius ceruicibus obtruncarentur. Per aliquot inde menses, rarus absque insigni aliquo supplicio dies erat, & postquam carnificina haec exhauserat omnes captiuos, tamquam in acie rursus occidebantur familiarum earum homines, quae cum Casatensibus necessitudine aliqua coniunctae essent. Biliorum maxime familiam extinguere omnem princeps volebat, infestus huic nomini, propterea quod, sicuti adiutores ad rebellandum Casatensibus fuisse occultos constabat, ita supplicio cladeque istorum irritati, tantoque magis infidi habebantur. Eadem causa spoliationis & excidij nobilibus alijs familijs fuit; Abbasque D. Ambrosij, de quo pulso, dein restituto demonstrauius, ob nonnullam earum rerum suspicionem occiditur. Latrunculi Moncini furca

ni furca, & familiae vnus temeritas haec mala attulit
vrbi, cum ab alijs paulisper respirari malis coeptum
esset. Ceterum, minimè dubitatum est, quin furca te-
meritasque eadem, etiam liberatura urbem fuerit, si
Ioanninus Vignatus cum Ruscono Casatensibusq.
sicuti constitutum inter eos fuerat sese coniun-
gere maturauisset, atque cum sua manu praesto
fuisset ad ea loca quae per eum occupari debue-
re. Serò postea ille ad fossam vallumque succe-
debat cum iam caesi rebelles, aut capti essent, cuius
rei terrore, pressò velut angue refugus abijt. Post
cladem hanc civilemque tumultum Metropolitana
res, & prouinciae negotia quo coeperant motu
prolabebantur haud equidem crediderim vitio
magis vllò, quàm turbatarum tantopere rerum,
in ipsa imperij sede, & arce. Neque manebant tan-
tùm in rebellionem vrbes eae quas antea descivisse ab
Metropoli demonstrauimus, aliaeque subinde aliarum
stimulis & exemplo deficiebant, sed etiam intra
Dioecesim agrumque Mediolanensem arma ab ipsis
inferebantur. Agrestes itaq. nostri, deserto aruorum
cultu quotidie migrabant in urbem cum pecore suo,
& iumentis, ne alerent hostem, neue ipsi praedâ ab
actâ ab populatoribus iisdem interficerentur; quae
rebellium ira & licentia contemptioque in Metro-
polim, ad extremo fines grassata erat. Ea verò agestis
turba conferta sub tecta, statim infecta morborum
tabe est, qui per urbem deinde vulgabatur tanta
contagione, vt sexcenti quotidie, atq. interdum plu-
res

res perirent. Accedebat ex incultis agris sociū aliud pestilentiae belliq; malum fames, quibus super alia ingruentibus malis, vrbs ipsa solitudinis pene instar fiebat. Ac miserabile sane dictu, in deserta penè, & vasta, & quotidianis funeribus exhausta vrbe conquiescere partium insania non poterat; Gibellinique, & Guelfi, dum patria perit, inter cadauera ciuium, & Reip. desperationes, de fastu & gloria sui nominis adhuc pugnabant. Principem ipsum ducemq; Ioan-nem Mariam indignum nomine imperioque hoc, ferunt laetum interea exitio ciuitatis, non modò instigatorē fuisse factionū, sed insita sacuitia adeo esse debacchatum, vt non pestē, magis non famem, non ciuilia bella Mediolanentes abominarentur. Veterū tyrannorum crudelitates cum huius immanitate comparatae, de infamia sua multum atrocitateqne perdidierint, sicuti monstrabunt ea, quae ordo iste rerum & temporum institutus referre me inuitum cogit. Cū enim, super ea quae dixi, famis & pestilentiae mala, quotidianae caedes fierent inter Guelfos, & Gibellinos, cunctaque principum furore permiscerentur, cōsiliū hoc cepere multi miseri, & desperati senes, vt facto agmine per omnia compita incederent lugubri voce pacem exposcentes. Ita flecti ad lenitatem infensos illos mutuis inimicitijs animos posse arbitrabantur. Traxerant secum aliud puerorum agmen, quos eadem clamitare docuerant; simplexq; illa multitudo irrisu potius digna quàm supplicio per urbem incedebat. Obuius huic fortē phanatico ag-
mini

mini Vicecomes fuit, atrocemq. ludum fecit aetati, cui parcendum fuerat etiam si in aliquo humano errore deprehensa esset. Nihil aliud quam pacem clamitantes, tamquam ob infandum scelus, immissa militum manu, ceu pecorum greges mactavit. Adeo detestabatur oderatq. pacis nomen, ut ea patrata innoxiorum caede, legem tulerit, nequis in imperio suo Sacerdos, cum rem diuinam faceret, vteretur pacis verbo, subderentq. cuncti tranquillitatis nomen quoties vox ea occurrisset. Tanta saeuo principi licentia etiam in res Ecclesiasticas fuit. Inhumanum hinc aliud eiusdem Vicecomitis facinus traditur, a quo bestiae ipsae refugerunt, & miraculi instar habita est ea bestiarum reculatio, scriptoresque proprio nomine miraculum appellauere. Ioannes Pusterula erat inter eos, qui opibus & multitudine asseclarum stare contra Principem possent, & communis fama inimicum hunc Ducis agnoscebat. Filium is habebat natum annos duodecim, quem cum forte Vicecomes in potestate haberet, patris odio puerulum infontem lacerandum canibus exponere statuit. Postquam ea rabies accenderat animum, Squarciae Giramo canum magistro negotium dat, ut assuetos tali ministerio, & iam inescatos humana carne molossos auidissimosq. cibi eius in puerum immitterat. Puer, audito mandato, positus humi genibus in principem obuersus, orare coepit, ut sibi ignosceretur; nunquam se postea commissurum esse aliquid, & posse nunc puerili verberare coerceri, si quid admisisset. Ea simplicissima de-

T t t

precatio

precatio potuerat flectere quamuis immitem animū,
 vel hoc ipso, quod ne paternas quidem inimicitias in-
 telligere miser ille videbatur, expertq. erat omnis, nō
 modò culpae, sed sensus etiam quo agnoscere culpam
 posset. Enimvero, tyrannus fero animo pueriles
 eas preces adspernatus ciebat nomina canum, quos
 immittere Squarcia magister deberet. Guercius pri-
 mō est immisus immanis hominum vorator, & ce-
 lebratae feritatis molossus, qui laxato nodo, quo ad-
 strictus tenebatur, eripuit se se custodi, & vnico sal-
 tu, quā supplex puer iacebat sese eiacular ad mon-
 stratam praedam. Crediderat circumfusa aulicorum
 corona conditum in belluae ventrē illico corpusculū
 illud fore, uiscerumq. laniatu spectaculum atrox
 praecipiant oculis animisq; quod secus euenit. Nāq;
 bestia admoto rostro odorata puerum abstinuit den-
 tes, & confedit humi, saepiusq; irritata quiescebat.
 Mox canem vnam inclamat princeps, cui Sibillinae
 nomen fecera nt, atrox animal, & carum tyranno,
 quia non aliud infestius humanae figurae auidiusq; ta-
 lis cibi monstrum in toto grege habebat. Ea quoq;
 bellua soluta & immissa pepercit infanti, credeba-
 turq; inuiolabilis, donec Squarcia ille canum Magister,
 principis iussu districto gladio secuit puero ventrem;
 nec ideo fusa humi viscera sanguinemq. canes ijdem
 attingere potuerunt. Ceterū, quotidiana Viceco-
 miti huic erat voluptas, gratissimumq; studium obj-
 cere subinde canibus aliquem, atq; sic explere odia,
 vel vbi odium deesset, inter ludicra id sumebat, pro-
 dibatq;.

dibatq. nocturnus cum canum grege, & obuij qui
que lacerabantur. Et funesta pleraque memoran-
tur alia, inter quae, vnum, sicuti dirum, & immane,
ita vtile, & salutare exemplum fuit. Plebcius homo
paupertatis extremae, cum mortuus esset, deerat fu-
neri sumptus, neq. vilo modo poterat superstes vxor,
pauculos expedire nummos, quos designator, & ve-
spillo, & medius inter eos praecipua saeuitia Parochus
implacabiliter exigebant. Aliter, relicturos esse do-
mi cadauer interminitabantur. Mulier exclamare
multum obtestariq. flebiliter, vt auferrent; polliceri
fese postea persoluturam; interdum rogare, vt tolle-
rent lodicem, vel pecuniae loco, si quid aliud in vacua
illa domo placeret, dummodo maritus humaretur.
Spurca, & ignominiosa turba obdurauerat animos,
viduamq. habere sibi domi foetorem iubebant; nun-
quam, nisi praesentem viderent pecuniam, nisi certi
ponderis funalia comparerent, cadauer illud esse
elatuos. Cum interea dies vnus, alterq. & tertius exis-
sent, essetq. flagrantissimum tempus aestatis, audie-
batur tota vicinitate mulieris eiulatus, non iam mari-
tum lugentis, sed calamitatem hanc nouam. Fortè
illac praeteribat princeps, auditoq. mulieris vlulatu,
qui facile in uiam usq; resonaret, ire è familiaribus
suis unum iubet, et cognoscere quid infortunij, quid-
ue desperationis in illa domo esset. Relatum est de
cadaueris incommoditate, saeuitiaque vespillonum
sicuti res erat. Tunc princeps, imperato, vt daretur
argenti, quantum funeri ducendo esset satis, mandat

simul ne mora ulla sepeliendi corporis fiat, ipseque dum exsequiae celebrantur, interesse voluit, et attonitis rei nouitate cunctis incedit in parte pompae, & cum reliqua multitudine tacitus ad templum vsque progreditur. Postquam cum feretro omnes intrauere, peraguntur funebria, laetusque Sacerdos copiosa stipe quam acceperat, mortuale carmen modulatur altiore sono, cunctaque peragit impigre ministeria, omnibus praeter principem ignaris, quid futurum deinde esset. Extra templum, in campo, qui tribulium illorum sepulturae dicatus erat, effoderant scrobem quibus ea cura, & iam direptum feretro cadauer inferre illuc parabant. Princeps arripit Sacerdotem, & inferri protendiq. prius in fossam iubet, deinde super, imposito cadauere congeri humum; ea spurco homini vltima merces fuit. Qui res eorum temporum prodidere, factum id reliquis saeuitiae exemplis annuerant, atque adeò, super cetera principis huius atrociam rem eam insectantur. Ego durum id quidem, & seuerum videri posse cuiuspiam existimaui, sed indignitate quoque Clerici nihilo mitiore supplicio fuisse dignam existimabant. Et Archiepiscopum ipsum, quamuis atrocitate rei commotum, reperio tamen tranquille id placateque pertulisse propterea quod etiã ipse fortasse foedam sui hominis auaritiã, quae contaminaret Ecclesiae nomen sic fuisse plectendam existimabat. Anxium tamen eum Ecclesiae suae miseris & principatu tali tyrannideque Vicecomitis, fortana maior exemit Mediolanensium turbis, estque

in summo rerum humanarum culmine collocatus.
Cùm enim Gregorius XII. Pisanum Concilium obi-
re recusauisset, patres eum deiecere Pontificatu, &
principem sacrorum hunc fecere, atque Alexandrum
V. mutato, vt assolet, nomine appellauerunt. Sed
nec honos ei stabilis fuit, orta inter Patres dissensio-
ne, quae ipsum euerit. De eo Archiepiscopo prius
Mediolanensi, dein Pontifice Max. fama haec ab ma-
leuolis & impijs dissipata manauit; hominem fuisse
litteratum, sed superbum eundem, & immoderate
deditum abdomini. Quippe quadringentos aulicos
habentem, cùm adhuc Mediolani Archiepiscopus es-
set, certasse magnificentia & splendore domus cù
principe ipso, & quoties, in mensa, cibi alicuius cupi-
ditas palatum tetigisset, si is non esset ad manum,
tam diu solitum expectare dum coqueretur id quod
forte appetiuerat. Ea sordida patientia, totos inter-
dum accubuisse dies, & cenae horas in antelucana
tempora productas esse nonnunquam, quae taedia
plebeios etiam helluones fatigare potuissent. Anno
altero postquam Archiepiscopus Philargus ad Pon-
tificatum Maximum hinc vocatus euectusque erat,
Ioannes Maria Vicecomes primo triduanarum sup-
plicationum die cùm in D. Gotthardi aedem reidi-
uinae causa prodiret, interficitur, illatumq; templo
maximo cadauer, mulier vna, quae corpore quaestum
faciebat, operuit rosis, ob quod meritum à Philippo
Maria fratre mortui principis est honeste maritata.
Dies idem alia caede fuit insignis non minus grata in
vulgus,

vulgus, vel etiam gratiore, quia minister atrox saevitiae principis, serâ quidem, sed tamen meritâ necesse sublatus erat; & publica ferme odia in tales homines incumbunt. Giramus erat ille canû custos, idemq; arbiter, & instrumentum vbi carnificinae aliquis destinaretur; crediderantq; multi, nequaquam horrenda illa facinora patraturum fuisse Vicecomitem, nisi magistrum, & artificem hunc habuisset. Populi concursu est interfectus, abominandumq; cadaver affixum ianuae paternarum ipsius aedium, vt dedecori etiam monumentoque esset. Ordinem verò coniurationis in Ioannem Mariam, & eius consilij participes, ac ministros agenda rei, & ea, quae post tyranni necem secuta sunt, statumq; Metropolitanum omnem, & quomodo principes vrbis, hoc interfecto Vicecomite conflictati sint inter vindicandae libertatis conatus, & imminentem alte perpetui seruitij necessitatem; haec omnia Bernardinus Corius refert ex Antonij Vicomercati commentarijs, quem eo tempore Causidicû fuisse, & ea occasione frequentem in aula, scribendis quae videbat, curam aduertisse ait. Me sane etiam simplicitas ista delectat Causidici narratoris, eiusq; testimonio ac fide funestarum rerû scena peragetur. Franciscus Maynus, & Andreas Bagius fuere primi, quos magnae cogitationis manifestos notauerit scriptor ille Vicomercatus arripiens initia suspicandi ex eorum colloquijs, concursationeq; & vultu. Eos ait ventitantes in aulam, multumq; secreto colloquentes cum Ioanne Carnago consiliario Ducis, abe-

untes

untes postea inde, & redeuntes, & cum leui susurro discordes inter se, mox annuentes toto capite, & rursus ambigentes, admirationi fuisse sibi, & pepulisse animum, vt cogitaret etiam ipse quid rei, quidue negotij esse posset illud. Die, quo princeps est interfectus, ab arcano illo, & tantopere sollicito colloquio prope digressos, descendisse per scalarum gradus, & dato velut signo tota dispersos aula nobiles alios viros aduolasse, & vestigia eorum esse infecutos. Ad quem motum, tantò magis excitatâ sibi cura videnti quid fieret, exisse dissimulante conclauis, & prodeunte paulo post ad rem diuinam principe vidisse caedem eius. Vulnera fuisse duo; vnum in capite, alterum in dextro cruce, statimq; tibia incisa, & ad mediam vsq. frontem patefcente hiatu tyrannum expirauisse. Interfectores non sunt ab eo scriptore proprijs nominibus distincti & notati, sed coniurati promiscue omneis, qui facinori perpetrando adfuerunt, hoc ordine recensentur. Andreas, & Paulus Bagij fratres. Ioannes Pasterula Venegonensis. Otho Vicecomes, Franciscus, Luchinus, & Farina Maini: Ambrosius, Gabriel, Ricardus, & Franciscus Triuul-tij, Andreas, & Bertonus Mantegatij. Parisius Concorretius & Iacobus Aliprandus, & alij praeterea nonnulli, speculantes rei exitum ex omnibus aulae diuerticulis, & si quid facto opus esset, prodituri. Fuerant omneis in summis aulae ministerijs, atq. ex intima Ducis amicitia, & quod quisque munus eius beneficio obtinebat, eo sunt vsi ad coniurationem in ipsius caput

caput opportunitate omni instruendam. Cùm enim Facino Cane per eos dies agente animam, tumultus in vrbe post eius mortem expectaretur aliquis, eoque metu princeps in arcem conferre sese statuisset, primum omnium, suadendo multa, & demonstrando effecere, vt longe tutissimam in aula sedem fore sibi ille opinaretur. Deinde, aditu hoc ad insidias inuen- to, muniendam igitur esse aulam, firmandaque prae- fidijs opportuna loca ostenderunt. Eius quoque con- silij fallacissima species cùm repudiari non posset, ip- si sibi insidiatores custodiã portarum, maiore adhuc fraude deposcebant. Ita Bertonus Mantegatius e con- iuratis vnus, fatali Principis ipsius vaecordia excuba- re cum armato milite ad valuas iubetur, ne qua post Facini illius mortẽ irruptio plebis in aulam fiat. Sic nimirum etiam aduersus Praetorianos munierant se seconiurati, ne, vel peragenda, vel peractae rei ob- starent eorum tela, quominus cuncta ipsi exseque- rentur, vti destinarant. Ne gladius quidem contra districtus est vnus hastaue obiecta vna, cùm sua in se- de tyrannus interficeretur; cùmque interfectores, eo iacente exanimi, per aulam urbemq; cetera delendi principatus, & vsurpandae libertatis agitent, com- munitã statim aulã, & infesta praefidijs vrbe, arcem oppugnare ipsam aggrediuntur, quae vna libertati obstabat, & magni facinoris opus id erat reliquum. Principis interficiendi tyrannidisque delendae con- silia & apparatus satis felicem adhuc exitum hunc habuerant, nisi ea, quae sunt insecuta, patratam cae- dem,

dem, emolumentumq; caedis, cum pernicie insuper illustrium victorum liberatorum visis irrita & vana fecissent. Facinus erat Canis, ex copiarum ductore & amico Vicecomitum, iam in tantum auctis opibus, ut Vicecomites ipsos fortunae magnitudine, imperijque finibus prope aequaret. Nouaria, & Derthona, & Ticinum, & Nouocomum ei obediabant; tum in agro ipso Mediolanensi, Briantiae tractus vniuersus, Vallisflakina, Varisium, Romanengum, Canturium, & Rosatum, & quacunq; Verbanus dices late populos ad Vogoniam vsque alluit, latiusque porrò prolaturus imperiū ille erat, nisi capto etiam prope Bergamo Cœnomanis imminentem mors abstulisset. Ac duxerat istius potentia initium ab liberalitate prius aliqua Vicecomitum, dum ob nauatam strenue operam, spectatamq; fidem, Blandratum, & loca alia ignobilia forti viro & amico homini assignat, quò fortior etiam in posterum amiciorq; foret. Deinde crescentibus quotidie meritis, aucta simul admiratione viri apud exercitū populūq; apud principem verò necessitate vetera beneficia muneribus tuendi nouis, noui additi fines, & fortuna rursus haec amplificata, quò magis eam ipse comitate, ac splendore omni decorabat, grato semper erga priora animo laecessens quicquid optare vel capere poterat. Postremo, ditatus ita & ex cultus, ad eò placuerat, ut necessitudine etiam nonnulla iunctum sibi Vicecomites propinquum suum fratremq; appellarent. Et fraterno scilicet ille ritu plane egerat,

V u u u gerenq;

gerensq. pro fortuna animos, maluit diuisum cū Vicecomitum domo imperium habere, quàm singulorum partium munera quotidie aucupari. Dum rebellant pleraeque, sicut demonstraui, vrbes, dum etiā Vicecomites ipsi rebellandi causas praebent, labasciūq; fortuna domus, interposuerat se se vindicem eū & vltorem; mox translata in se ipsum victoria, eum quem dixi principatum sibi effecerat; quodq; maius videri possit, erat interea assecutus, vt species amicitiae cum Vicecomitibus iisdem maneret. Facinus hic igitur, cū in Ticinensi arce moribundus, nondum tamen alienata mente, nuntium de Ioannis Mariae nece accepisset, vocatis ad se in extrema illa hora fidissimis amicis, dextrasq; singulorum amplexus rogare institit, vt si retinerent eum erga se animū quem semper habuissent, Vicecomitis necem ne ficerent inultam, quae morienti sibi nuntiata, turbaret alacritatem, cum qua res humanas alioqui relicurus fuisset. Ne prosequerentur defunctum ignauo questu, sed quae voluisset meminissent, quae mandasset exsequerentur. Talia dicentē spiritus defecit; diesq; idem triduanarum supplicationum, vt dixi, primus Facini Canis obitum, & Ioannis Mariae Vicecomitis necem coniunxit. Mediolani, Duce interfecto, neque princeps iam erat, neque libertas, deferentibus nonnullis imperium ad Hectorem quendam ex eadē Vicecomitum domo, clamantibus adnitentibusq; alijs, vt veteris Reip. forma restitueretur. Sed pro Hectore seditiosissime concitabat plebē Bertus Cacia

cia Placentinorum Episcopus, quem coniurati adiutorem ad multa, participemq; habuerant; ac re gesta feliciter, seorsim tendens, Hectori, principatum parabat. Eius negotij causa Mediolani necessebat moras; ac die quodam in templo maximo tanta vi concionatus est ad populum de Hectoris mansuetudine illius, futuraq; per eum felicitate noui principatus, vt clauis portarum vrbis, vexillumq; Reip. & sceptrum, & diadema ad eum deferrent, Ducemque appellarent. Mox Philippus Maria, simul fraternae necis, simul paterni imperij vindex adfuit, non solum exercitu omni, qui sub Facino Cane militauerat, sed veteranorum etiam copia ducum metuendus, quorum fidei moriens Canis vltionem mandarat in Ioannis Mariae interfectores. Terrorq; cum vindice aderat alius, ingens pecuniae summa, & imperium omne Facini eiusdem, quod ducta in matrimonium vidua ipsius Beatrice adeptus erat. Tunc verò, & ab Hectore intra muros, & extra per Philippum Mariam Ciuitas ab duplici domino, duplici hoste vexabatur. Hecor, ob nouae fortunae belliq; necessitates tributa immodica viritim & hostiatim in singulos dies imponebat; detrectantes coercebat vinculis; & in arce, quae est ad Portam Romanam arido pane detinebantur nobiles viri, donec, aut alimento eo, non secus ac fame, perirent, aut inuenta pecunia missioq; ad exactores tributo, accipere se se imperium faterentur. Philippus Maria, disposito circum moenia exercitu prohibebat comportari quicquam in urbem.

V u u u z & v r e b a t

& urebat fata populator agri, quem à populationibus defendere debuisset, cum in ipsius potestate mox omnia futura essent. Urbem habebat Hector: in arce quod praesidium fuerat, ante tyranni prioris necem, pro Philippo Maria constantissime eam tuebatur. Aliquandiu neutro inclinata re dubitabant Mediolanenses, utrius magis partis gratiam sequerentur, cum par utrinque metus, damna eadem, nec odium dissimile esset in duos, quorum uterque per caedes iniuriasq. ciuium inferre patriae tyrannidem vellet. At ubi praesidij praefectus vocato per tubicines populo in subiectum arcicampum alta pronuntiari iussit voce, Philippum Mariam, adesse paterni vindicem imperij fraternaeque necis ultorem: innoxiorum sanguinis minime eum indigere, si fratris sui interfectores dedantur; pacato agmine urbem intraturum; tunc enimvero, Hectori, & coniuratis infestiora omnia quotidie magis esse coeperunt; & post irritos aliquot in vltima desperatione conatus, relinquentibus infauista signa cunctis, prope soli relictis, victoris deinde iram expleuere. Fuerant in coniuratione, praeter eos, quorum nomina ex Vicomercato spectatore Corius in Annales suos contulit, nosque testimonium & auctoritatem secuti utriusque recensuimus, etiam alij, quos, vel ab scriptoribus ijs, taedio numerandi tantam multitudinem, esse praetermissos apparet, vel ab ducibus eis auctoribusque consilij participes adhibitos fuisse constat. Numerus utriusque tantus, ut etiam postquam deserti desolatique fuisse dicuntur, ausi sint

sint

sint obijcere sese victori exercitui, eaque non vna acies fuerit. Sed, & ab maiore passim acie caedebantur, & urbana multitudo nouum conspicata Ducem, profligatisq; rebellibus imperium adesse pristinum videns, vertit arma in eosdem, ad quorum nutū ipsa quoque rebellarat; & feminae ipsae conijciebant saxa e fenestris in Hectorianos, dum fugiunt illi aut resistunt; eaque lapidatione iuxta D. Donnini templum ex Ioannis Stradae aedibus, Ioannem Carolum Hectoris fratrem pene oppressum ferunt, cum Bernabouem Medicinam, & Antonium Alciatum insequeretur. Ipsi Medicina & Alciatus, per Parochi aedes in alteram viam euasere; Parochumq; ipsum Stephanum Cribellum nomine, regione discurrens ea quaesivit Hector ad necem, quia duobus illis effugium dedisset. Repertus, & productus imminente gladio clamitabat, nullam suam in ea re culpam fuisse; aperto fortè ostiolo illos irrupisse, simul, & exisse per ostiolum aliud, cum ne domi quidem eo tempore ipse esset. Ita exitium vitauit. Philippus Maria interim in arcem ingressus, & paulò post uetus humanissime per urbem, haud dubie tenebat imperium, laetis, ut in tali necessitate omnibus praeter eos, quos ex conscientia metus angebat. Hector, & Ioannes Carolus, perditis rebus aufugere Modociam, & intra arcem inclusi tutum ibi receptaculum aliquandiu habuere, donec composito omni rerum urbanarum statu Princeps eò curas vertit. Coniurati reliqui, aut euasere, quà quemq; casus tulit, aut euadendi se-

gnitiam

gnitiem capite luerunt. Neque dubitatum est, quin ipsius dissimulatione & arte Ducis fuerint elapsi nonnulli, quibus aliorum supplicia tulerint salutem, dum inuidia tam cruenti ingressus timetur. Inter eos, Crescentiaci antistes, quem dignitatis vocabulo Praepositum appellabant, abestq. id Monasterium quatuor millia passuum ab vrbe, parabat fugam eadem animi praesentia ad vitandum periculum, qua coniurationem ipsam consilio ministerioq. omni instruxisse conuincebatur. Sed potentia, & ira ministriq. Ducis plus valere. Retrahitur e fuga sistitur in eius conspectum, magnoque conuitio increpitus carnifici deditur sine mora & obruncatur. Francisci Maini, quem Praepositus ad omnia conscium participemq. habuerat, par in fugiendo conatus, idem exitus fuit. Paulo Bagio, & ignobilioribus alijs addita ignominia, vt antequam supplicium de eis sumeretur, iacerent per aliquot dies in collaria porrectis alte capitibus expositi ad iniurias, & ludibria omnia queis incelsere eos plebs infima miserabili erga nouum principem adulatione cogeatur. Apud animum quisque suum moerebat, vt opinor, tali fortium uirosum clade, qui cum uoluissent liberare patriam, praemiū egregij facinoris hoc referrent. Hic Philippo Mariae finis vlciscenda fratris nece, quae tamen nulli laetior fuerat, licet, haec simulacra & imitamenta doloris, vt famae existimationiq. hominum satisfaceret, ab eo adhiberentur. Nam & imperium adeptus erat, & quae cariora imperio, libertatem, & vitam, regnante

gnante illo captiuus sub Facino Cane ad Ticinum, proximusq; exitio, quo fere captiuitas inter principum suspiciones finitur. Ceterum, sicuti ex fraterno sensu dolorem, puniendis, vt demonstrauit interfecto-ribus simulaue rat, ita simulans in ipso dolore clementiam atque satiatum supplicij animum, vltion i statuit finē, exactoq; sacramento, ad curas imperij, quae multae, & magnae simul vndique eum circumstabant, animum conuertit. Anno CIO. CCCCXII. ad X. Cal. Quinti iurauere Cives in Philippi Mariae verba, cum prius ille cōsensu militari Dux princepsq; appellatus esset, fuit que iste, Vicecomitū Ducum, vt omni regia virtute secundus nemini, ita successionis ordine postremus. Ad principatus initia huius regebat Mediolanensem Ecclesiam Ioannes Vicecomes Vercellini filius, quem Carolus Malatesta sub Ioanne Maria exercituum imperator, contracta cum Archiepiscopo Philargo olim amicitia, postquam is ad summa peruenerat, commendauerat ei vt honorem quē uacuum ipse reliquisset, huic demandaret, neque ille abnuerat. Verum Archiepiscopus iste triennio post in Constantiensi conuentu tamquam vitio creatus (iocertum qua de causa) mouetur loco, decedereque rubetur honoris gradu, quem nec recte, nec ordine obtineret. Postea ille defendendo se se, & purgando, vt in pristinam Sedē noui Pontificis decreto restitueretur obtinuit, fuitq; sub Eugenio legitimus Archiepiscopus sicut in loco demonstrabitur. Nunc ei Barptolemaeus Capra Mediolanensis sufficitur, qui

qui Constantienſi concilio interfuerat, & ob rerum
 Eccleſiaſticarum uſum vnà cum Iordane Urſino,
 praefederat ex Patrum autoritate conuentui cura-
 tor & magiſter, vt omnia cum dignitate adminiſtra-
 rentur. Is ubi Mediolanum Archiepiſcopus venit,
 magnopere vexabatur ab priore Archiepiſcopo,
 qui, & fauore ciuium, & principis gratia validior
 concoquere non poterat hoc ipſum, quod loco deie-
 ctus eſſet. Ac die quodam, cùm per Abbatem San-
 cti Ambroſij ad aram maximam proferretur diplo-
 ma recitandum, quo diplomate Capram Archiepi-
 ſcopum Martinus Columna Pontifex maximus re-
 nuntiabat, corripitur repente Abbas ab Sacerdote
 quodam ex ipſius Arae miniſterio, iſq; Sacerdos ex-
 tortas Abbati de manibus Apoſtolicas litteras fode-
 re gladio ſuper aram inſtitit. Et aderant armati mi-
 lites pro Vicecomite exule iubentes audere presby-
 terum cùm, atq; minitantes, ſi quis violare ſacrilegum
 auderet. Capra percuffus atrocitate facti, coniectàsq;
 inde, ad quales ipſe animos, & in quàm aperra ve-
 niret pericula, ſubduxit ſe ſe discrimini, & occul-
 tiſſime porta Iouis egreſſus Romam auſugit, redijtq;
 Mediolanum, & iterum deinde exul fuit. Viſque
 in Franciſci Sfortiae tempora vexatam Pontificatus
 diſſidio Mediolanenſem Eccleſiam tradunt: Sfortia
 demum regnante reſtitutum Vicecomitem, cùm ali-
 quandiu ſediſſet, poſt breue deinde tempus vacuam
 eidem aemulo Metropolim reliquiſſe. Verùm, po-
 ſteriora hæc, quomodo geſta fuerint, demonſtrandi
 locus

loeus erit. Ab Constantiensi Conuentu, cui Capta Archiepiscopus affuerat, Pontifex Martinus Romam proficiscens ex itinere Mediolanum venit, eaque publica laetitia turbidis ac moestissimis rebus interijcitur. Prodiere venienti obuiam vnà cum Clero vniuerso, Dux ipse Philippus Maria, Senatusque Mediolanensis, nobilitas tota tanto apparatu quanta maiestas & fama hospitis erat. Iurisconsulti, & medici in purpura & pelle, sicuti tunc Collegium vtrumq. distinguebatur, vmbellam attollebant. Ea mille florenorū nummūm aestimatione fuit. Tubicinis antecedeabant pontificale agmen: in agmine ipso minores pontifices erant principesq. alij sacri, vel profani, vt quique spem officiumue suum sequebantur. Proxima hinc veniebat cohors honorariorum ephœborum cum reliquo Ducis famulatu in pretiosis equis: equi Pontificis octo purpura instrati ducebantur, post eos, ducenti viri nobiles obœrata Principi manus ibant. Ante Pontificis vmbellam ducebatur mula pyxidem vehens, in qua sanctissimum Christo corpus collocatum erat, sicuti praeferuntur ea mysteria Pontifici maximo cū iter facit. Sexaginta Sacerdotes linteati cum funalibus id ferculum religiose deducebant, eamque sacram cohortem, & ceremoniam Episcopus vnus regebat. Cardinales duodecim Pontificem sequebantur. Cremaniolae Comes & Guidus Torellus magna apud Vicecomitem gratia tenebant frenum iumenti, cui Pontifex insidiebat, Galeotus Beuilaqua ferebat Ecclesiae vxillum. Fabri-

cuius Columna vexillum alterum, in quo suæ gentis insignia depicta cernebantur. Spatio deinde modico interiecto, triplicis Regni argumentum infula ex gemmis contexta portabatur. Et altero tanto spatio Vicecomes distabat medius inter armatorum agmen, & ceteram vrbis nobilitatem splendidissime excultam. Sic procedente pompa peruenit Pontifex in templū maximum, flexoq; ante aram poplite breuiter precatus, ac deinde pari breuitate concionatus ad populū, octo annorum indulgentiam concessit omnibus, qui cum salutarum culparum suarum detestatione piaculū id amplecterentur. In aulam deinde Vicecomitis Pontifex est deductus, atque ibi umbella direpta & lacerata est inter multos, qui sibi reliquias eas appetebant. Urgebatur interea multitudine operarum structura arae maximae, populiq; concursus ad necessaria ministeria fiebant, cum ea spe ac voto, vt à Pont. Max. ara dedicaretur. Trium dierum spatio demoliti pristinum opus, nouam molem excitauere; Pontifexque Martinus absoluto nouo opere dedicauit aram, & in ea rem diuinam fecit. Centum amplius millia mortalium interfuisse scribuntur ei ceremoniae, obritosq; & elisos fuisse complures tenet fama, quae magnis celebritatibus cladem eiusmodi aliquam semper adiungere amat. Pontifex maximus peracta dedicatione pronuntiauit centum dierum indulgentiam omnibus, qui anniuersario Dedicationis die Aram eam religiose adirent; & post aliquot inde dies ipse abibat. Recreauerant paulisper ista vrbem;

atque

atque occupato postea bellis externis principe quies ab ciuilibus malis erat consentanea quieti & prudentiae regnantis. Nam huius mores ab aui atauisque natura & institutis longe diuersissimi, patrem potius refercbant, ita vt homines, quibus otium fuit, committere inter se Vicecomitum istorum ingenia, atque alia ex alio, sicuti fit, assimilando referre ad genus & originem quemque suam, verbum vsurpauerint istud, Philippum Mariam videri quidem ab Ioanne Galeatio ortum, sed neq; ceteram huius prolem simile quicquam habuisse patris, neq; patrem ipsum ad maiores suos vlla similitudinis nota pertinuisse. Adeo, & habuit Philippus Maria, e filijs vnus virtutes Ioannis Galeatij omnes, & huic nulla auorum vitia adfuere praeter artes queis regna continentur, quaeue commune regnantibus omnibus vitium sunt. Iam primum omnium, in religionis negotio, quae res ab ipsis Vicecomitum inicijs ad Ioannem vsque Galeatium, scribenti ista mihi, toties excusanda, toties declinanda, vel circumuenda, ne qui offenderentur, fuit, expedita, & integra fama Philippum hunc Mariam habet. Nulla anathemata regnante eo, nullae Pontificum irae, aue ipsum, aut subiectos ei populos, & hanc aliena culpa semper temporibus illis defixam interdicto aliquo Metropolim, appetiuere. Colebat Apostolicam vniuersae sedem dicto obediens, & effusus in obsequia si quid mandati inde accepisset. Cumque in magno totius Ecclesiae dissidio, constituendi Pontificatus causa, Constantiense concilium haberetur, singulari sua ob

infitam pietatem cura eius rei & solitudine fecit, ut
 legatos illuc mitteret, suo & ciuitatis nomine pol-
 licentes omnia patribus, quae ad negotium illud stre-
 nue sancteq; administrandum peti hinc possent. Le-
 gati sunt missi, Episcopus Alexandriae, Abbas S. Am-
 brosij, Gaspar Vicecomes, Otho Mandellus, & Ga-
 leotrus Cafalis; legationiq; ei splendor additus, qui
 praeferret erga res Ecclesiasticas animum sensumque
 eius à quo mittebatur. Sanè, quòd vexari Archiepi-
 scopum Capram ab Ioanne Vicecomite Concilij iam
 auctoritate damnato passus postea fuerit, offendere
 id aliquomodo posse animos videtur, aduersarique
 patriae religionis hereditari & famae, quam ei assi-
 gnamus. Verùm, id quoque, sicuti etiam animaduer-
 sio in cõiuratos interfectoresq; fratris, cum cetera tã
 pia fuerint, condonatum esto necessitati dominatio-
 nis, quae coecat saepe animos, & peccare inuitos co-
 git. Nam quemadmodum sæuiendum Principi fuit,
 ne Ducum impune interficiendorum exemplum pro-
 deretur, ita sui sanguinis hominem ab homine alieno
 in Metropolitanì Pontificatus certamine deuictum,
 fore quodammodo detrimentum imperij, labemque
 existimabat. Reliqua deinceps fuere eiusmodi, ut
 principem, religione, prudentia, imperio, atque per to-
 tam Italiam auctoritate maximum Ecclesia Mediola-
 nensis admodum laeta intueretur. Scilicet, etiam in-
 ter ipsa tristia, sicuti demonstrauius, atque cruenta
 initia principatus, dum nobilium virorum nece parè-
 taret interfecto fratri, dumque maiestati domus per
 damna

damna Archiepiscopi Capræ inferuisset, dederat quædam eiusmodi signa, ut mitem ipsius animum, rebusque factis valde addictum agnoscere omnes possent. Esse in vrbe coniuratorum posteros, esse in domo, & patrias obtinere fortunas excelsis animo, declarauerat sic eratque testatus, quod suæ conscientia æquitatis nihil infidiarum ipse suspicaretur. Petrum verò Garzelinum ex Humiliatorum ordine vnum e coniuratis cum in custodia haberet, Præpositi Crescentiacensis exemplo trepidum, & in pari culpa supplicio addictum eidem, non modò viuere ac dimitti iussit, sed Cauenaghi Præpositum etiam in posterum esse iure ac potestate qua ante coniurationem inter suos fuisset. Vnius sacri capitis pœna contentus fuerat in exemplum; contaminari ultra religioso sanguine per iram, nefas atque impium duxerat. Eustorgiani Fratres item acceptis ab Hectore prædijs muneribusque multis, cum & suspecti esse possent, & inuicem ipsi suspectarent Ducis iras; omnia eis quaecunque tenuissent, intacta conseruauit. Hoc itaque Principe contenti ciues laudabant ex prioris tyranni comparatione fortunam Urbis, tertiumque iam hunc Mediolani Ducem, & præcipitatum in familiae vnus sceptræ Republicam, vel iam assueti seruitio, vel deliniti mansuetudine imperitantis, nequaquam, ut mala loquebantur. Tributa tolerabant absque tumultu villo: strenue ad bella prodibant: vbi prodierant, quasi pro communi patria, non quasi pro domino gererent rem. Ita Mediolanensis exercitus paucorum dierum
spatio

spatio Alexandriam, Bergomum, Brixiam, Laudem Pompeiam, Placentiam, Cremonam, & aliquot præterea magni momenti arces recepit, captis aut caesis qui per vim eas prodicionemue occuparant. Vrbs Nouocomum ab Eleuthero tyranno dedita est tot victoriarum metu. Tritium, & Vogheria, & Crema, re magis quam nomine militariter celebrata loca, aliquandiu oppugnationem tolerauerunt. Cremaniola copiarum ductor, ob res eas prospere gestas, ab Philippo Maria Castri noui Comes creatur, idque munus in templo maximo, flexo ante aram poplite accepit. Rebelles, & latrunculi, qui ex contemptis metuendi, concitis in arma ciuitatibus, negotium Metropolitani exhibuerant, alius alio ritu, pro sua quisque, vel contumacia, vel fortuna, pœnas dedere. Gabrino Fondulo Cremonensium turbatori caput Mediolani abscissum. Arceli duo, per quos prodita Placentia, in furcam acti tamquam fures. Malatestam Bergomi & Brixia inuastorem, vtraque amissa vrbe fugientem, cū intercipere possent, neglexere. Diuersi & foedi aliorum exitus fuerunt. Hunc rerum cursum, & tenore fluentes vno Metropolitanorum exercituum victorias vrbs Genua, cū aliquandiu morata esset, humilitate deditiois gloriam auxerat, nisi princeps ipse Philippus Maria tantæ rei occasionem errore quodam suo corrupisset. Namque principes eius Ciuitatis, postquam terra marique vrbe circumuenta sua, & magna ex parte capta, desponderant animos, abiecta gloria speque defensionis, permittunt sese victori exercitui,
præ-

praesidiumque Mediolanense admittunt. Inde, ut maiorem deditio*n*i gratiam facerent, decernunt legatos, qui cum clauibus portarum ad eam Ducem, ac petant ut rem Ligusticam placatus libensq; in ditionem accipiat. Verum ille, siue iratus ei urbi, quia morata victoriam esset, siue ob res prosperas superbia inuadente animum, siue re vera, pietate erga Sedem Apostolicam ne admissis quidem in conspectum suum legatis, renuntiari iubet, Pontificis maximi legatum adirent, & cum eo super deditio*n*e colloquerentur. Legatus Apostolicus Mediolani Cardinalis Insulanus erat; isque in Ambrosiana Aede, precibus Genuensium auditis, claues portarum Ducis nomine accepit. Superbum id visum Liguri; venientem cum tantae rei munere legationem spretam haud dubie & elusam; reiectos alio; non dignos esse habitos, quos sua omnia dedentes Dux Mediolani audiret. Itaque, quamquam auditi postea sunt, & ab Duce eodem culti etiam donis honorificeq; dimissi, sera tamen & inutilia omnia fuere, quia repulsae contumeliaq; prioris dolor alte animos occuparat. Reuersi domum ita renuntiauerunt legationem, ut Senatus, fronte quidem & simulatione praesenti necessitati succumberet, acciperentq; missum ab Mediolano praetorem, intimis vero consilijs, & arcano fremitu rebellionem pararent, quae non multo postea erupit. Interea Mediolanense nomen celebrari quotidie magis admiratione vel inuidia populorum aliorum, & redacta paulatim in veterem statum Metropoli patrioque recupe-

nato imperio Philippus Maria, arbiter fere Italiae rerum habebatur. Ortum deinde est ex tantae potentiae metu bellum atrox, coniuratis aduersus Metropolitim regulis liberisque populis, dum pro se quisque metuunt, ne tam prosperae Mediolanensium res sibi exitio forent, ac domitis vndique perduellibus, & frenato vel sublato quicquid domi esse molestum posset, ad toties repetita semperque irrita vota maiorum suorum attolleret Philippus Maria animos, ut scilicet Italiae Rex superbo nimium, & apud ceteros quoque Reges inuidioso, ac formidabili nomine diceretur.

Ad eius rei suspicionem Florétini primum sunt excitati solertia & calliditate sua, & veteribus odijs. Hi postea Venetos admonuere. Genuentes, vsurpata olim, dein amissa libertas, ingenia gentis, spretae legationis ira, occasio, precesque potentissimarum Rerum publicarum ad tentandam hoc tempore fortunam incitabant. Tum Rex Alphonsus, & permotus legatione Florentinorum, & suo dolore ardens, quod rem Neapolitanam adoptionis iure vindicanti sibi Mediolanensium arma obstiterent, haud aegre suas vicissim opes exercituumque partem in hostium horum damna pollicebatur. Sabaudiae Dux Amedeus, & Demarchi treis, Estensis & Monferratensis, & Mantuanus, fiducia validiorum, stimulis quisque suis, & in commune omneis, detestatione atque odio regni imminentis armati in Mediolanenses, dum à maioribus coniuratis erumpendi signum daretur, expectabant. Mediolanensibus, & Philippo Mariae in tantarum discrimine,
rerum

gerum maxime aduersarium erat, quòd Cremaniola ille, per quem superiora bella administrata fuerant, quo duce subegerant rebelles, transierat nuperrime ad Venetos, eaq; transitio, nonnihil quidem etiam, ob viri famam, & in re militari vsum, sed multo magis ob prodita per eum arcana hosti, sollicitam ciuitatem habebat, veluti si aliquem ex intima familiaritate seruum in domum recipi inimicam quamuis praepotens herus videret. Discesserat autem transfugeratue ille, partim quidem, ab causis ijsdem, ob quas discessiones, & transfugia seruorum sunt, partim verò, ob causas alias proprias ipsius, atque singulares. Nota & communia incitamenta abeundi huic fuere Cremaniolae; quòd pro magnis suis meritis, parce aua-
reque se ad eam diem esse tractatum quotidiana ser-
uientium calamitate reputabat: quòd ea quae secum praemia quotidie coarctarentur, large in scurras, aut in rerum leuissimarum ministros effundi à principe conquerebatur: quod demum æmuli ipsius & inimici praecipuum gratiae in aula locum tenerent. Illa verò ab gloria virtutibusq; viri, secreto, & occulte proficiscebantur; quòd princeps ipse certamine miserando coeperat cum eo Cremaniola velut agere aemulatum, eiusque obterere famam studebat, adeo vt praefectos alios suos in ipsum irritaret sereretq; inimicitias, & Guidi Torelli praecipuè odia in ipsum vltro aleret. Torellum quin etiam ipsum, demoto eo praefecerat classi apud Neapolim, & contumeliae huic addita mox grauiore contumelia, Genuensem
Y y y quoque

quoque praefecturam, quæ velut ad prioris iniuriæ solatium data erat, adimit ei, & Cardinalem quendam Insulanum cognomento illuc mittit. Haec igitur dolens Cremaniola simul & indignans abierat ab Philippo Maria, iusseratq. valere Mediolanenses, quos, ipsos, & Principem serâ iam inutilisq; pœnitentiâ angebat ob alienatum, & fugere coactum hominẽ, cuius egregia militaria facta, olim inuisa, nunc periculo imminente celebrabantur. Spes omnis in Francisco Sforzia erat, quem vîginti trium annorum iuuenem aetas illa Scipioni aequabat corporis animiq; indole, magnitudine gestarum rerum, atq; tam immaturæ virtutis pene miraculo; de cuius origine iuuenis, & quemadmodum, ex patris contubernio, post eius casum, ad alienorum exercituum imperia peruenit, ac imperium deniq; sibi proprium hoc fecerit; demonstrabo, cûm perducta in ipsius principatum historia, novos vrbis Ecclesiæque nostræ casus ab rebus eiusdem pertexere incipiam. Nunc aduersus eos, quos dixi foederatos ascitus Vicecomiti Mediolanensibusq; copiarum ductor, & administrator belligerendi, statim conflictabatur inuidia, & aemulatione multorum, qui fremebant atque indignabatur, homini mandatum esse peregrino id munus, in patria, quæ gentibus ipsa alijs suppeditare e sua sobole Imperatores posset. Namq; proceres vrbis, Mediolani, quibus animis, & ipsorum inter se certaminibus effecerant, vt ad summam imperij militaris alienigena potius conduceretur, iisdem alienigenam hunc ducem

ducem insectari postea non desistebant, tum apud Principem varie criminando, tum apud exercitus corumpendo & detrectando ipsius imperia, donec fessus ille tam iniqua rerum conditione postulauit vltro à Vicecomite, vt Imperatorem bello alium daret, cui parere Mediolanenses mallent, & se ipsum ad petendam obsequij, fideiq; gloriam primum fore pollicebatur, quoniam parum felix in imperando fuisset. Carolus Malatesta Pisauriensis inde Metropolitanos exercitus regebat, cui homini expeditius fuerat imperium eiusmodi tradere ac relinquere si iam teneret, quàm adipisci nouum, & succedere Francisci Sforciae artibus, quæ magno cuiilibet etiam egregioque duci comparationis discrimen terribile efficere possent. Erat Malatesta aptior paci, quàm bello, ingensque hostibus accessit fiducia postquam in hunc modum mutato duce, vim simul imminutam esse Mediolanensium sensere. Ducem verò ipsi Cremaniola habebant, praeterquamquod Sforciae quoque metuendū si duo isti maximi duces in bello hoc maximo congregerentur, etiam ab ira & metu, tamquam in vltimo discrimine sollicitum, vt & male de se meritos vlcisceretur, nec sese transfugam vlciscendi locum eisdem daret. Armatorum millia foederati effecerant ad triginta duo: Metropolitanus exercitus ex viginti millibus constabat. Principia belli circa Brixiam urbem constitere; quae ciuitas, cum aegre semper antea Mediolanense imperium tulisset, ad foederis famam sustulerat animos, & instigante Cremaniola ad Venetos

Yyyy 2 defecerat.

defecerat. Duæ tamen illic arces, vetus, & noua Vicecomitis nomine tenebantur, & munitissima alia castella Coenomanorum Oldratus Lápugnanus missus illuc ab Mediolano Praetor auxerat praesidijs, ex quo labare gentis fidem, & defectionem parari suspicatus fuerat. Has arces, & castella, quamdiu Lampugnanus, aduersus acerrime oppugnantem hostem retinebat, irrita defectione habebatur, & vrbs ea posita in medio, pari vtrinq; ad obtinendam eam conatu, neque Mediolanensium erat, neque Venetorum. Vt verò Lampugnanus excessit arce, quæ in summe colle posita vrbi imminet, vrbs ipsa amissa est, non parui quidem per ea tempora nominis, sed maiorem, quàm pro nomine præbitura materiem malis, quæ postea Insubriam vniuersam, & Insubriae Metropolim hæc afflixere. Capta sic Brixia, fœderati Venetas naues Pado flumine ad spem capiendæ etiam Cremonæ immittunt, cum quibus male, dein prospere pugnatum, & Veneta classis ab victrici nostra classe profligata, non nihil est solata vrbs admodum moestam defectione Brixiensium; spolijsque, & rostris nauium Mediolanum relatis, nauale decus omnium ordinum gratulatione celebratum est. Sed antequam secunda pugna in flumine committeretur, terrestri ad Pompiliatum Marte cladem acceperant Mediolanenses, ob quam ne posterioris quidem huius victoriae gaudium apud occupatos luctu animos pro rei magnitudine sentiretur. Malatesta in eo praelio captus, pars minima cladis eius fuit; captiuitasq; potius illa apud infesos
ciuium

ciuium animos pro solatio habita est. Adeo execra-
bantur Mediolani publice omnes istum ob imperia
improuida, queis exercitum perdidisset, cum, aut con-
seruare potuisset, aut etiam victorem reducere, si ei, aut
in suis, aut in alienis consilijs constantia tamen aliqua
adfuisset. Nam vbi statuerat forte recte aliquid, pro-
tinus id per metum trepidationemque mutabat: gna-
riq, hostes moris, & consuetudinis huius, captabant
incitiam hominis, & arbitrato fere suo pauidum
animum quotidie agitabant. Vbi nullus erat timen-
di locus, ipso corrumpebat timore pulcherrimarum
rerum occasiones, & faciebat commodiora cuncta
hosti; ad fraudes idem hostium, à quibus vix vllò vn-
quam momento cessabatur, securus incautusq; age-
bat. Infausto die, quo clades accepta est, cum subdu-
xisset exercitum in colles, id quod paucitati aduersus
multitudinem admodum salutare fuerat, laessente,
& omnibus modis id ipsum quaerente Cremaniola
descendit in equum, & quam extentissimo potuit
campo copias locauit, quasi de industria, vt ab ma-
iore hostium numero circumfunderentur. Ibi nata
est occasio inermes etiam nudosque fere trucidandi.
Nardus erat Torquatus in Mediolanensi exercitu, qui
stipendia pedibus faciebat, & Sforcianarum fuisse co-
hortium peditem hunc ferunt. Siue per lasciuiam il-
le, siue offensione interposita aliqua, siue ferox ani-
mo, & ostentandae virtutis cupidus, manipularem
ex fœderatorum exercitu alium prouocarat ad singu-
lare certamen, vt in exercitus vtriusque conspectu de-
cernerent

cernerent

cernerent vter melior manu esset. Nouerat vtrumq; fama militaris ob multa fortia facta, & ob procera corpora magnosq. artus, queis longe supra ceteros eminebant; atque ab certamine gloriæ irritatis præcipue animis in eam descendere aleam vtiq. concupiuerunt. Perfertur ea res ad duce[m] etiam vtrumq. & veluti per ludum accepta gregalium horum pro-uocatione statuitur dies, quo die, medio inter exercitû vtrumque campo veluti per tacitas inducias militum oculis id ludicrum exhiberetur. Statuta spectaculo dies fuit x i. Id. Octobris, quam atram populo Medio lanensi lucem norasse volui, vt notaretur simul posterior altera laeta & serena nobis, tenebricosa, & funesta hosti. Nam sicuti illa prior multas populo Mediolanensi lacrymas tulit, ita Iuniae Idus anno insequente, partam eam ex nostro luctu lauream Venerorum nomini deformauere maiore luctu. Procedunt igitur eo die manipularis vterque concertator ex anterecondito in campum quatientes arma quibus pugnaturi erant, verbisque mutuo insultantes. Simul duo contrarij exercitus procedunt ordine ad spectaculum velut in eandem scenam, sed neque animorum habitus, neque vadentium forma eadem erat. Hostes ab duce suo iussi sumere arma tamquam in aciem ibant, & præceperant haud dubie pugnam animis hoc ipso, quod, seque & præfectos suos nihilo segnus armatos videbât, quàm cum in praelia iretur. Noltri, sine galea, sine telo, pars magna emittebantur ab discincto item inermique duce multum reclamantibus

tibus Francisco Sforcia, & Guido Torello, qui, si nullū
aliū in vsum, disciplinæ saltem militaris ergo, &
decoris natusq; causa, cum insignibus armisq; suis
exercitum etiā inter ludicra esse habendum mone-
bant; interimque ipsi priuato consilio armabant suos;
& horum exemplo recurrebant ad capiēda tela etiā
alij, quibus minime imperatum erat. Pars tamen vt
dixi maior inermium fuit; & postquam assedere, hinc
semermis ista multitudo, hinc probe armata multitu-
do maior; incipiunt concertatores duo inter se dirige-
re ictus, quos vterque inferebant, declinabātq; arte ea-
dem, quæ ipsa augebatur tot inspectantium verecun-
dia; neque huic aut illi periculum suū, sed vtrique
partis suæ gloria proposita est. Dum isti sic pugnāt,
nostri quidem simpliciter intenti occupatique specta-
culo, nunc clamoribus adiuuant militem suū, nunc
eo periclitante conticescunt; hostes verò pugnam ani-
mis volentes ipsi aliam, non ad pedirum duorum ina-
ne certamen, sed ad nutum intenti ducis, accepto repē-
te signo exsurgunt, expediunt tela, dant impetum in
nostros, & tota momento vno scena fit: acies qualis
fortasse antea nunquam spectata erat. Septuaginta
millia mortalium (tantū enim fuisse exercitus vtriusq;
numerum constat) in vnum conuoluti globum, pu-
gnabant armati cum seminudis, quæ indignatio ra-
bielque ipsa loco armorum fuit, & percussis iam vul-
neratque multi in mortem, aut telo arrepto aliquo,
vulnerauere proditores, aut per tela ipsa furibundi ad
fauces affluxere eorum, ibique vnguibus & dente ge-
rebant.

rebant rem, atque conatui suo immoriebantur. Constitit, ab moribundo inermi non neminem esse praefocatum, cui prostrato ac deiecto ille superincubuerat, bucculaque reuulsa iniecerat manum. Quodque foedius dictu videri possit, in ipsa postea nostrorum strage reperti quidam sunt compressis tenentes dentibus membra aliqua hostium, quae spiritu extremo asperante animos, impetumque addente abstulerant morsu; & sicut inter caesorum acervos, madida ac fluentia cruore hostili Mediolanensium ora cernebatur, ita in loco praelij fusae passim auriculae repertae sunt; ac in ipsa deinde talis victoriae gratulatione proditores irrisui fuere, cum auribus mutilati, vel truncis inhonesto vulnere naribus, virtutem fateri Metropolitanorum cogentur, qui per ducis inscitiam fraudemque ipsorum deprehensi sine armis praelia tamen illa naturae telis edidissent. Ceterum, Sforcia, & Torellus, alijque, qui vel horum iussu, vel sponte sua armati ad spectaculum exierant, ferro etiam, quantum pauci aduersus plurimos poterant, sustinere hostem, ibique Cremaniola pene irritum suum dolum erat detestatus, cum paucorum arma defenderent etiam nudos, negotijque tantum exhiberent. Sed neque iusta haec armatorum acies, neque noua alia, cui dolor et ira feruorque spiritus vltimi repererat in dentibus, & vnguibus tela, quae dux improvidus ademisset, contra superfundentem sese multitudinem atque succedentes integros fessis, & contra tot manus circumferentes vndique ferrum valere; fuitque summum virtutis opus

opus effugisse ex eo praelio, dum hostes, aut tot inermium strage, aut contra paucos armatos, defensione sui occupantur. Effugere Sforcia, & Torellus, & alij, quos sua virtus, & duo illi duces adiuuerunt. Reliquus Mediolanensium exercitus caesus aut captus vna cum Imperatore ipso Malatesta, qui causa tanta cladis fuerat; vulgoque, ceu noua clades habita hominis salus, quem sepultum atque obrutum cumulis caesorum ipsius culpa tot fortissimorum militum, potius quam captiuum atque superstitem debuisse esse aiebant. Calamitas igitur ad Pompilianum accepta haec, & amissus tam indigne exercitus, manente apud singulos eorum desiderio quos quisque amicitia vel propinquitate attingebant, naualis victoriae lactitiam deflorabat quae secuto anno de Venetis parta, cladem hanc ipsam vt dixi solabatur. Naualis autem victoria Mediolanensium, apud temporum eorum chronographos hoc ordine tradita perscriptaque est. Cum Pompilianensi illo casu elati Veneti, actum esse de Vicecomite ac Mediolanensibus sperarent, insuperque sinistro ipsi alio cum nostris ad Soncinum praelio irritati, prosperis simul & aduersis in Metropolim accenderentur, classem instruunt nauium diuersi generis fere centum eo consilio, vt Pado amni Cremonam aggrediantur, si vrbe potiti forent ea, consilijs deinde rebusq; maioribus imminentes. Praefecerant classi Nicolaum Treuisanum ex prima illic nobilitate, sed multis etiam maritimis expeditionibus omnique bellica laude nobiliorem. Classis nostra quinquaginta nauium fuit: Nauarchi, &

Z z z z

praefecti

praefecti, quamquam haud perinde assueti fluctibus, tamen, & indignatione ob recentem fraudem ac uentem animos, & exercitatione iam vsuque nonnullo praeparati ad discrimen, cuius magnitudine prope iam Oceani fama concesserat in Padum, nec de eo tamquam flumine homines loquebantur. Summa imperij totius ad Pacinum Eustachium, & Franciscum Sforciam, & Nicolaum Picininum spectabat, quorum fidei ac uirtuti ut omnia crederentur, temeritas Malatestae infelix effecerat. Ut primum infestis concurrere rostris naues, & aduersa utrinque fronte pugna inita est, quinque Mediolanensium triremes, caelis propugnatoribus, obruncato remigio capiuntur; qua clade duces in magnum metum adducti sunt, ne terrestri simul, & nauali certamine, bello aperto pariter & fraudibus uicta Metropolitana res defendi ultra non posset. Ac tanto magis id ipsum timebant, quia ad classiariorum ingentem numerum, quos Treuisanus dispositos egregieq; armatos in nauibus habebat, nouae copiae accelsurae dicebantur ex Cremaniola exercitu, qui Mediolanensium nomini infestissimus haud procul ab Pado castra habebat. In eo periculo, Sforcia usus hostium arte, dolum etiam ipse nonnullum subsidio assumit, atque ad distinendum proprio metu Cremaniolam, mittit ad eum duos, qui transfugarum specie ostendant, re desperata nauali Mediolanenses, paratos esse descendere in terram, & nocturno impetu castra aggredi. Fraus ea saluti rebus fuit, & aduersus insidiatorem insidiae valuerunt. Detinente namq; Cremaniola militem in castris,

castris, vt aduersus inuasuros parati intentiq; essent, & Treuisano expectante subsidium, vt impressione vna debellaret; nostri, simul auersos in spem auxiliorum, simul ab re iam benè gesta incautos aggressi Venetos, turbauere primò, deinde expugnauere classem, quae postea terrori victoribus fuit etiam postquam capta dissipataq; erat. Adeò, & tormentorum numero, & omnis generis armatura, & nauium magnitudine, ac firmitate inexpugnabilis videbatur, nisi praeter eam quam dixi ducis artem, casus etiam repentinus, & amnis quodammodo ipse, expugnasset. Cùm enim certamine accenso, par metus, & spes in parte vtraque aliquandiu eadem esset, ac nostros iam fere poeniteret eius spei, cum qua pugnae discrimen lacessiuisent; accidit fortè hoc, vt Praetoria Veneta triremesq; alia, quae propter magnitudinem suam, multa aqua liberoq; spatio indigebant, illatae in angustias quasdam, fixis ibi inter vada carinis, explicare se se non possent. Tunc verò Treuisanus cernens exitium suum, cecit se se saltu in ripam, atque inter vepres, & alia quae inculta vestiuntur, est elapsus. Idem fecere duces, & praefecti alij, quibus, simul Imperatoris exemplum, simul metus cuique suus haud inhonestam in tali casu fugam luadebat. Qui manserant, attoniti triremiũ impeditarum casu, Imperatoris reliquorumque fuga, & expeditis vndique Mediolanensium nauigijs, haud multo plus momenti efficiebant, quàm si ipsi quoque effugissent. Ita, modis omnibus inclinata ad iniqua re, Veneti partam tot antea maritimis victorijs gloriam per-

Zzzz didere

didere fluminis iniuria, sicuti tunc sermo hominum fuit. Cremaniola postea infortunium luit capite suspectus proditoris, quia nullam in tempore opem tulisset. Mediolani ad victoriae gratulationem huius, lactitia accessit alia ex Sigismundi Caesaris aduentu, qui ad petendam hinc de more coronam aderat, ne dilata diutius ea res ad legitimam imperij possessionem impedimento sibi esset. In Ambrosiana Aede coronatus est ab Archiepiscopo Capra, quem hoc tempore reperio nihil obturbante aemulo, sua in sede fungentem omni pastoralis munere etiam Principi acceptum fuisse. Coronati ceremonia Caesaris in temporum eorum tabulis ita perscripta est. Archiepiscopus Capra procumbentem ad Ambrosianam aram in genua Sigismundum solenni carmine precibusque; vstitatis expiavit. Annulo digitorum eius annularem, ferreo diademate caput cinxit. Nudum gladium & sceptrum, & globum insignia Imperij in manum dedit. Haec omnia sicuti acta essent, Balthasar Capra Archiepiscopi iussu consignavit litteris, & publica documenta rei ceremoniaeque eius confecit. Ex Cottarum familia, cuius gentis homines vetusto iure ad ceremoniam adhiberi hanc oportebat; nemo vnus adfuit. Totidem verbis antiquae tabulae ceremoniam tradunt, qua Sigismundus Caesar Mediolani est coronatus, tempore eodem, quo partam de Venetis victoriam, & post magnae cladis luctum, ingens nauale decus, in triumphum modum exulta Metropolis iusto gaudio concelebrabat. Ac veluti cumulate in eos dies fortuna res omnibus secundas, & magnas,

triumphus

triumphus alius vrbi exhibitus est; duo captiui reges vno tempore, Nauarus & Aragonius, quos inter Neapolitani regni tumultus acerrime obsidentis Caietam, Genuensium classis (erāt adhuc Genuentes in potestate Mediolanensium) obsessis missa subsidio, cepit, ductique Mediolanum aliquandiū exempla rerum humanarum facere, trepidi scilicet, quid de ipsorum capite Dux Mediolani statueret. Seruati benignitate ipsius clementiae gloriam tulere ei, quae victoriae famam auxit. Fertur Aragonius, cum ab Philippo Maria intra louis arcem, salua inter captiuitatis miserias regiae maiestatis reuerentia, humanissime compellaretur, proponendo pari affabilitate, & modestia fidem suam, gratumque animum ad omnia, quae tanto discretus spatio, imperij huius causa facere posset, ac rursus ostendendo Gallorum impotentiam, & pericula, vel damna, quae Mediolanenses appetere, si Neapolitana res illuc transfiret, flexisse Ducis animum, vt saluum, & incolumem regem vtrūq; dimitteret, habito insuper honore, & hospitalitate omni, quae mutuis obligaret pignoribus animos, ob salutem, hinc datam, hinc acceptam, & ob beneficia, quae salutem etiam honestarent. Per aliquot inde dies, Aragonius, & Nauarus fuere Mediolani, amplectente ac venerante Metropoli regiam magnitudinem in eisdem, quos paulo antea adspexerat vt hostes, & miserata erat, vt captiuos. Opulentissimi ciuium certauere munificentia & comitate omni erga eos, ac data sunt munera, quorum admiratione, reges externi fortunas vrbis supra regnum.

gnum vterq; suum extollerent palam. Apud Vitallianum Borromaeum praecipue fuere in hospitio, qui splendore domus, & pecuniae magnitudine proximus fastigio Principis habebatur. Refert Bosius, festos eos dies omnes fuisse populo Mediolanensi, supplicatum ad praecipua templa Urbis, campanarumq; sonitu vocata cuncta ad hilaritatem; Reges ipsos in templū maximum ventitaeste aliquoties, atque ibi, tum partium singularum, tū vniuersae molis attentissima contemplatione mirifice esse delectatos; in patriam deinde rediisse tam beneuole erga Mediolanensium nomen affectos, vt captiuitatis deinde illius etiam iucundissime meminissent. Ceterū, sicuti laeta haec in speciem atque magnifica fuere in pompam, ita grauissimæ rei damnum attulere, nimiumq; magno triumphus ille stetit. Namque Genuenses, etiam irritati, sicuti demonstratum est, spretae suae legationis ignominia, postquam dolor hic insuper nouus accessit, vt partem sua classe victoriam, captiuosq; reges, & defensi Neapolitani regni decus, omnia in famam, & potentiam concessisse Mediolanensium viderent, defectionem, quae dilata adhuc fuerat, haud ultra distulere, spectaculique & triumphus inuidiā illius amissa est urbs, quae maritimas opportunitates Metropoli addebat, sine quibus nullū imperium satis validum esse potest. Simul, eiusdem Neapolitanæ victoriae regiaeque captiuitatis inuidia apud aemulos huius imperij Venetos Florentinosque renouauerat antiquam curam, ne vrbs vno tempore victrix, & hospita liberatrixque

ratrixque Regum, ad spem Italici Regni, per haec, & alia quotidie facta violentior, nulla deinde ope posset inhiberi nisi noua quamprimū remedia ei malo pararentur. Igitur, ad pristinas eius rei sollicitudines nouo hoc addito metu, coniurationem etiā ipsi suam instaurant, foederaque noua incunt de coercenda Metropoli continendoque intra fines insubrum Vicecomite, vel etiam exturbando inde, quod si euenisset, in cetera postea consilium ex euentu ipso capturi erant. Ea coniuratio trahebat Eugenium Pont. Max. haud sine grauissimarum deinde rerum consecutione & nexu, scilicet, vt Vicecomiti Metropolique cum sacrorum Principe bellādum esset, & Christi Vicarius, Principum aliorum certaminibus odijque implicaretur; quo negotio, Apostolica sedes ad extrema pene deducta est, capta urbe Roma, profugo Pontifice, deinde exaugurato; & initia causaeque tantarum calamitatum, haud aliūde quā ab nimia Vicecomitis potentia fluxere, nec aliō etiam referebantur. Cū enim ex Veneta nobilitate esset Pontifex Eugenius, spirituq; idem, vt exempla docuere, politico magis quā Apostolico, patriae suae memor, cuncta ad reip. illius amplitudinem referret, ideoq; suspectus Vicecomiti ab origine studiisq; suis etiā ante id quod dixi foedus fuisset, tum vero inito foedere, infensus atq; inuisus magis, aduersus Imperium hoc agebat omnia hostiliter, & vicissim hinc ad euertendum eum cuncta ab Vicecomite exquirebantur. Nec Eugenio placebat viuere dominariq; cū, vade periculum Venetae libertatis semper intactae immineret.

mineret, & metus indignatioq; Vicecomiti erat ingēs, si Ecclesiae arma, & Apostolicae Sedis opes, imperiumque sacrorum, & suprema illa autoritas fierent subsidia illis, quos, odium, & inuidia, & dolor alienae pacis inquietaret. Cumque adeò accensi vtrinque animi essent, Philippus Maria hostem persequendo hūc, eò prouectus est, vt, & Concilij Basileensis autoritate, Pontificatu deiciendum eum curarit, & postquam id tenuerat, confictis etiam eiusdem Concilij nomine literis, populoque Romano concitato, Picenum ipse inuasit, fraude certamineq. hoc impia Vicecomitum omnium facta haud dubie supergressus. Verū ista dum fierent, descivit ab ipso Franciscus Sforcia ille per quem fiebant, causaeque defectionis magnae & arcanae quaedam ferebantur. Notissima illa, & celeberrima sermonibus hominum fuit; quòd Nicolaum Picinum Sforciae inimicum, Philippus Maria nimirū extulisset; atque occultiore susuro mustabatur simul illud, quòd Vicecomes, & Sforcia, iam pater, & filius, gener, & socer, adoptionis & sponsalium iure nuncupati, vincula ea caritatis incitamenta irarum sibi iniucem fecissent. Cū enim Philippus Maria Franciscum admiratione virtutis (nisi fortasse metu) in nomē familiamq; Vicecomitum adoptasset, eique Blancam filiam despondisset; grauium atque quotidianarum offensionum vtraque ea necessitudo materiem praebat, indignāte Sforcia, quòd, gener, et successor heresq; destinatus, procul ab domo, procul ab aulae limine haberetur, nec tempus matrimonij veniret vnquam, &

potiores

potiores interim alij essent haud alia scilicet commendatione quàm odio ipsius & aemulatu. Philippus Maria vicissim suas habebat causas exostulandi grauissime & conquerendi, siue culpa in filio erat aliqua, siue cùm nulla esset, fingebatur suspicione Patris, aemulorum arte, vel etiam, innoxius, vt plerique credidere, iuuenis, peccare nonnihil, & peccando, laedere se ipsum cogebatur ob ea ipsa, queis laedi se se exostulabat. Non enim gratia tantummodo gratiam parit, sicuti verbum habet vetus, sed vberiore foetu, iniuriae nascuntur ex iniurijs, & dum vlcisci priora homines volunt, damnis fere nouis implicantur. Sic offensionibus alienati mutuis Vicecomes, & Sforcia, quotidie magis alienabantur, exhibatque sermo, quòd neque alter adoptasse vellet ac despondisse, & alter, sine lare adoptionem, sine sponsa thalamos adspernando; patris & loceri simul nomen inane adspernaretur. Haec inter Vicecomitem, & Sforciam iacta semina odiorum diffidijq; aliquandiu cùm fuissent; cuncta speculati Veneti arripere occasionem, & illectum ad se Sforciam exercitibus imposuere suis, eoq; deinceps imperatore gerebant bellum aduersus Mediolanenses, donec post multas mutuas clades facta ingēti rerum animorumq; mutatione, reconciliatus ipse socero patriq; cuncta cum eo reconciliaret, atq; pax magna sed non duratura iniretur. Neque verò arbitror, ex omni memoria aeratū aut populorum, homines vnquam fuisse ullos, aut tam faciles ad bella, aut in pace tam inconstanteis; & inter omneis corū téporum casus nihil tam

A a a a

admirabile

admirabile occurrit, quàm potuisse ipsos inter se populos, & principes fidem habere vllam, cum data semper fides illico vana fieret. In fensi bonis vicissim alienis, ob minimam quamque rem, occasionemque natam ad arma ibant; vbi poenituerat armorum, quaerebant eadem leuitate pacem; haec statim impetrata displicebat, & rursus violata reconciliabatur; atque cum saepius ita egissent, nondum tamen credendi inuicem stomachus taediumue subibat. Ne vincula quidem ipsa humanae societatis, quae apud gentes omnes, maxima, & sanctissima habentur, in ea principum inconstantia valere, quominus Sforcia insidiantem sibi Vicecomitem deicere Regno simul & vita conaretur etiam ex quo deducta tandem Blanca, sexus vtriusque prolem ediderat, vxorque iam, & maritus, & horum filij, Vicecomitis nepotes, auus vero iste, & socer, & rursus filia illa generque plena caritatis nomina, molleis ac teneros in parte viraque facere animos possent. Et postquam inter pignora ista saeuicium tantopere erat, coaluere tamen iidem animi rerumque praeteritarum obliuione indicta, aduersus hostes alios inire foedus, quod ne rursus abrupteretur, morte, credo, Vicecomitis effectum est. Nam ea paulo post, sicuti memorabo est insecuta, tunc cum flagrante bello Italia, tumescitibusque animis ira, & metu, & mole suspicionum, monstrum adhuc expectari aliquod posset simile priorum, quae socerum, & generum spectacula vtriusque hostibus antea fecerant. Ceterum, huic tantae saeuiciae animorum, & leuitati, quae quidem,

dem, non tam hominum ipsorum, quàm dominationis videri vitiũ potuit, reiũ etiã, quae interim accidere, varietatem, & saeuitiam rectè aliquis com parauerit. Bergomum, & Brixia, & Vicetia, & Verona, Mediolanenses inter, & Venetos obsellae saepius, captæ, direptæ, die aliquando vno, aut dominos habuere eosdem, qui hostes fuerant, aut ab dominis paulo antea suis hostilia cuncta pertulere. Veneti facti ad Castanum ponte, flumen transgressi Abduam, collesque depopulati Briantaeos, capta ad Bripium Leucumq; arce, castellie circa flumen infessis communisue alijs, spe maxime intestinarum seditionum ad ipsa moenia vrbis Mediolani accessere tamquam deiecturi Vicecomitem, Imperijq; sui sedem facturi Metropolitim. Iidem ab Orientali Porta (regione namq. venerant ea) pulsũ & reiecti vix tutum in sua castella receptum habuere. Vrbe in ipsa, Eusebius Caimus particeps omnium consiliorum Principis, idemq. ad principes alios saepe legatus interficitur in templo maximo cùm ad D. Iuliae aram effusus in preces positus humi genibus iaceret; & causa tam violentae necis fuit suspicio, quòd Francisco Sforciae Venetisq. arcana imperij prodidisset. Cuius hominis neci continuatur Nicolai Picinini post grauem morbum obitus haud sine multo hominum sermone, quòd inter tot acies, atque tot inter tela versatus illenò potius occubuisset ferro. Mortuus est ad Corsicum qui locus nauigabili alueo alluitur quinto ab vrbe lapide, indeque deuectum cadauer in templo maximo sepelitur exequijs, quae decerent exercituum Imperatorem

Aaaaa a flagran-

flagrantissima apud principem gratia, quo amisso, simulacra luctus in aula tamquam ob res perditas fuerunt. Tumulus eius ingredienti Templum ad dexteram est iuxta valvas Sacrarum Maioris cum marmorea tabula, quae parieti inaedificata subiecta. Deiparae Virginis imagini, carmen incisum huiusmodi habet. Nicolaum Picininum sub Philippo Maria, exercituum imperatorem, cui, ex corporis breuitate cognomen id fuerit, situm esse ibi, & petere ab omnibus, qui eum accesserint, ut breui apud Dei Matrem prece adiuuetur. Haec duorum hominum funera, curas sermonesque ciuium a publicis malis bellisque cladibus aliquandiu auerterant, cum eorum alter, falsa principis suspitione interfectus fuisse diceretur, alter magnum principi luctum, & unam cum luctu sollicitudinem reliquisset, quem nam eo amisso perinde fidum strenuumque assumere sibi ducem posset. Ante funera haec tumultus in urbe fuerat periculo, quam re maior a Brando Castelleoneo Cardinale ortus, qui magna erat etiam inter collegas auctoritate & fama, aderantque opes, & animus feruidus, rei que semper alicuius molitor. Inter cetera Sacerdotia, quae multa & ampla obtinebat, D. Ambrosij Monasterium fuit ea condicione, & iure, ut pars uectigalium cederet monachorum alimentis, reliqua Comendatarius teneret. Monachi erant Cistercienses, qui ordo, iam inde ab initio fundatus ibi, & constitutus pari cum Canonicis iure Basilicam eam tueretur. Hos ille Monachos dimiserat e Monasterio omnibus, induxeratque

ratque Cartusienſes in eam ſedem haud parua Mediolanenſium offenſione & ira. Fit vrbe tota propter eam rem conſternatio, & tumultus, qualis eſſe ſolet, cum publica iura violata animos irritauere. Poſtquam aliquandiu turbatum eſt, publico denique conſilio opis imploranda cauſa ad Principem itur. Is abire exemplo Charruſienſes iubet, vacuamq; relinquere Ambroſianis ſedem. Ni abeant, igni ſe & ferro deiecturum eos minitatur, ſtatimq; illi abire. At Cardinalis, ubi Ducis interminatione Monachos ceſſiſſe loco videt, ad conſilium aliud adiecit animum, vt Ambroſiani officij ritus deleret, ac pro eo Romanam formulam in Mediolanenſis Eccleſiae conſuetudinem inducere conaretur. Id non poſſe fieri arbitrabatur, niſi codicem ipſum interceptiſſet, in quo formulam Ambroſiani ritus D. Ambroſij manu deſcriptam ferebant. Aſſeruabat Codicem Praepoſitus D. Teclae yenalis homo, ſicuti res docuit, an potius abſque ſcelere vlllo, leuis, & parum acer ad cuſtodiam rerum, quae fidei ipſius committitae eſſent. Hunc auro corruptum, ſiue promiſſis, vel qua alia deceptum arte Caſtellæoneus in eam mentem adducit, vt ſacroſanctum codicem prodere ſibi non reculet. Accepto Codice Cardinalis idem facile deinde exſequitur cetera, & primùm omnium agendum cum Canonicis, impetrat hoc, vt die feſto res diuina Romano ritu fiat ad aram maximam; & data opera dies eſt electus Epiphaniae, quò maiore concurſu, ac celebritate noua ceremonia ſpectaretur. Confuderat ea res admiratione ac nouitate ciuium animos, atque

inter

inter sese frementeis, causam, siue authorem immu-
tandi patrij ritus quærebant. Postquam, cognitum est,
rem esse artificio & machinatione conflata[m] eius Ca-
stellæonci Cardinalis, ad ipsius repente aedes aduola-
uere cum facibus, & obsessa domo minitabantur ex-
cidium, ni sibi Codex Ambrosianus illico traderetur.
Cardinalis enim uero perusus horrore periculi proie-
cit è fenestra librum, ac timens in reliquum deinde
tempus populi Mediolanensis iras, Placentiam, vnde
oriundus erat, aufugit. Philippus deinde ipse moritur
iactatus febricula per aliquot dies exhaustusque ven-
eris profluuio, quem vtrumque per se lethalem in af-
fecto corpore morbum aduersus remedia omnia con-
tumacem efficiebant curae circumstantes, cum Vene-
torum arma, semperque suspectus gener, & Imperij
amittendi metus obturbarent necessariae quietis horas,
indeq; stomachus alienatus coqueret praeue, ac vene-
ret quicquid prodesse poterat. Etiã præter honestas eas
solicitudines, decorasq; molestias Imperij nomine, mi-
serabilis cum ignominia angor exercuerat virum ob
Beatricis vxoris impudicitiam, quae deprehensa cum
adultero, clementer tamen punita est, dato moriendi
spatio intra Binaschi arcem, quasi flagitium aliud, &
non extremum illud muliebri puniretur. Reliqua for-
tunâ moribusque Vicecomes fuit iste, tum felix hoc ip-
so, quod amissum fratris importunitate fere Imperiû
omne receperat, tum absq; vlla fratris similitudine
paternarum omnium virtutum famam nactus, si ab
Romano domum abstinuisset arma, ac nisi orta, illa
Capram

Capram inter, & Ioannem Vicecomitem contentione de Pontificatu Ambrosiano, fauendo potius huic, offendisset suspicione animos, quasi Sedis Apostolicae decreta, & authoritatem nollet obstare sibi ad ea quae molire-

tur.

